De

C. Valeri Flacci

dicendi genere

quaestiones.

Scripsit **H. Gebbing**, Dr. phil.

In dissertatione inaugurali[1]), cui inscripsi: »De C. Valeri Flacci tropis et figuris«, alias deinceps occasione oblata quaestiones, quae ad Valeri immerito tamdiu neglecti dicendi genus spectant, me tractaturum esse promisi. Cui promisso satisfacturus hoc libello de iis eius structuris, quae iudicio nonnullorum grammaticorum imitatione orationis graecae ortae sunt, disserere constitui. At mira est inter viros doctos dissensio, graecismus qui dicitur sive hellenismus quam late patere videatur in sermone scriptorum latinorum; etenim suo iure Pigerus[2]), quae verborum comprehensiones his vere proprieque latinae videantur, easdem dicit ab illis quasi celeberrimos quosdam graecismos tractari. Ac primum quidem antiquiore sermonis latini usu pervestigato iam rectius de graecismis qui vocantur potest iudicari nec hodie, quidquid a communi consuetudine sermonis latini abhorrere et linguae graecae simile videtur esse, a Graecis repetitur. Constat enim singulas quidem voces facile admitti ex aliena lingua petitas, sed multo difficilius sermonis patrii legibus immutatis verborum constructiones ad orationem peregrinam conformari[3]). Quare Em. Hoffmannus[4]) quamquam paulo durius nec tamen prorsus inique de graecismis: »Wer vor dem Zopfe, der der Ellipse nachgerade anhängt, zurückschreckte, der flüchtete zum Gräcismus, der trotz seiner wissenschaftlichen Jammergestalt noch immer als allbereiter Notretter gilt, wo jemand sein Latein ausgeht.« At vero poetas romanos maiore licentia in coniungendis inter se vocabulis sententiarumque partibus usos dicendi rationem ad Graecorum consuetudinem conformasse iure Schäflerus[5]) affirmat vereque de graecismis haec iudicat: »So gross auch die Zahl derjenigen Stellen ist, die sich zwar

---

[1]) Marburgi Chattorum a. 1878 ed., ubi vide p. 90.

[2]) In programm. gymn. Iglav. inscript.: »Die sogenannten Gräcismen im Gebrauche des lat. Acc.«, a. 1879 ed. (ubi v. p. 19).

[3]) Cfr. Kübleri progr. inscr.: »De inf. apud Romanor. poetas a nomin. adiect. apto«, Berolini a. 1861 ed. p. 4.

[4]) p. 545 commentationis vol. CIX insertae ann. inscr.: »Neue Jahrb. f. Philol. u. Pädag.«

[5]) p. 4 programmatis gymn. Amberg., cui est titulus: »Die sogenannten syntakt. Gräcismen bei den august. Dichtern«, a. 1884 ed., quod opus diligentissime conscriptum iure laudavit H. Ziemerus (ann. inscr.: »Zeitschrift f. d. Gymnas.-Wesen« a. 1886 p. 23 sqq.).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

als »Gedankengräcismen«, aber als wohlberechtigtes Eigentum der lateinischen Sprache erweisen, so lassen sich dennoch »syntaktische Gräcismen« bei solchen Strukturen nicht in Abrede stellen, die bei den älteren Dichtern und in der klassischen Prosa konsequent fehlen.« Latissime autem patuit usus graecismi ab eo tempore, a quo multorum studia in eo versabantur, ut, quae a Graecis praeclare pulchreque dicta essent, ea litteris latinis effingerent. Itaque Kühnastius[1]) non iniuria: »Der Gräcismus war wohl das mächtigste Ferment, das, seit jeder gebildete Römer griechisch sprach, die Weiterbildung der Sprache vermittelte.« Quae cum ita sint, cui mirum videatur esse Valerium poetam carmina epica ab Apollonio Rhodio graece confecta in latinum sermonem liberius convertentem[2]) iterum atque iterum usum esse graecae linguae rationibus, praesertim cum ante eum in eodem artis genere versatus Vergilius poeta[3]) idem sibi sumpsisset Homerique non solum in rebus enarrandis, verum etiam in conformanda oratione exstitisset imitator? Quod quomodo factum sit, ut ostendatur, hanc de Valeri dicendi genere commentationem ita instituo, ut primum de casuum obliquorum, deinde de adiectivi praedicativi usu, denique de adverbio pro adiectivo attributivo posito disputem.[4])

I. De casuum obliquorum usu.

A. De accusativo.

De vi ac natura accusativi quae a viris doctis scripta sunt, ea hoc loco omnia repetere et longum et supervacaneum est. Meum est, Valeriani dicendi generis quae sint proprietates, proponere; ac primum quidem hac libelli parte de accusativo transitivo a passivis verbis pendente dicam, tum de accusativo ex adiectivis apto, denique de accusativo cum verbis intransitivis quae dicuntur coniuncto.

1. De accusativo transitivo a verbis passivis pendente.

Apud Ciceronem, Caesarem, Sallustium, Valerium Maximum, Quintilianum, Plinium minorem, Nepotem, Gellium, Iustinum, scriptores historiae augustae exempla accusativi e verbis passivis pendentis non exstare Draegerus[5]) affirmat. Saepe usurpatur a poetis[6]) inde ab Vergilio,

[1]) Libri inscripti: »Livian. Synt.« p. 45.

[2]) Cfr. Thilonis prol. p. XII sq., qui iusta Valeri librorum manuscriptorum recensione instituta eximie de Valerio meritus est.

[3]) »Scripta esse Argonautica tota ad exemplar Aeneidos Vergilianae notum est.« (Baehrensi praef. p. V.) De Valerio imitatore Vergili cfr. I. Greiff. progr., cui inscripsit: »De C. Val. Fl. Argonauticis cum Verg. Mar. Aeneide comparatis«, Tridenti a. 1869 ed.

[4]) Infinitivi apud Valerium usum iam Ioannes Schmidtius luculentissime demonstravit dissertatione, cui inscripsit: »De usu infinitivi apud Lucanum, Valerium Flaccum, Silium Italicum«, Hal. Sax. a. 1881 ed. Quamquam summa cum diligentia virum doctum rem tractasse libenter concedo, tamen vituperandum est eum ab iis stare, qui casuum significationes infinitivos esse putent (cfr. p. 8). Ut exempla afferam, infinitivos cum substantivis »cura, facultas, furor, libertas, locus, mens, potestas, spes, studium, tempus« a Valerio coniunctos, quibus locis infinitivus subiectum est (cfr. Draegeri libri inscr.: »Historische Syntax der lat. Sprache«, (ed. II) vol. II p. 358 sqq.), genetivorum loco positos esse affirmat (p. 79 sqq.) et p. 87 sqq. disputat de infinitivis adiectiva ita excipientibus, ut sint numero genetivorum (certus, docilis, doctus, durus, immemor, melior), dativorum (bonus, suetus, assuetus), accusativorum finalium (facilis, paratus), ablativorum (certus, contentus, dignus).

[5]) Libri supra laudati vol. I p. 362.

[6]) Cfr. Engelhardti progr., cui inscripsit: »Passive Verba mit dem Acc. und der Acc. Graecus bei den lat. Epikern«, a. 1879 Bidgostiae ed., qui plurima quidem, sed non omnia exempla affert, quae in Valeri libris inveniuntur, et rem breviter se attingere velle ipse (not. p. 4) profitetur. Quod opus diligentissime confectum cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quos Livius et alii pedestris orationis scriptores secuti sunt. In partiendis et definiendis his accusativis magna ex parte Schroeterum[1]) sequor, cui Draegerus[2]) et Kühnerus[3]) adstipulantur. Schroeterus[4]) autem haec docet: »Diese mit einem Passivum verbundenen Accusative sind als reine Objektskasus aufzufassen, abhängig von dem medial gebrauchten Verbum[5]), das trotz seiner passiven Form die transitive Bedeutung beibehalten hat.«[6])

a. Accusativus cum passivo genere verborum **induendi** vel **exuendi** coniunctus id, quod **induitur** vel **exuitur,** significat.

Unum Valeri exemplum exstat IV 92 sqq.[7]): Sol—multifidum iubar et bisseno sidere textam—loricam induitur, i. e. induit loricam. Schroeterus[8]) iure laudat similia Graecorum verba media *δύσασθαι, ἕσσασθαι, περιτίθεσθαι.* Hic afferendi sunt quattuor loci, quibus Valerius via ad novandi licentiam munita audacissime progressus participia *expressa* et *caelata* cum accusativo coniungit. Loci sunt I 398 sq.: casus tuos expressa, Phalere, — arma geris, i. e. arma casus tuos exprimentia. Idem verbum »expressum« vide II 653 sq.: aurea gestant — pocula bellorum casus expressa recentum. Similiter legitur I 402: tum caelata metus alios gerit arma Eribotes. VI 53 sq.: caelata gestat — tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes.

b. Accusativus **corporis partem** vel aliquid simile (ut »vultum« et »animum«) significat. Bene Kühnerus[9]) his de verbis: »Die Reflexivform bezeichnet eine Thätigkeitsäusserung, die das Subjekt an seinem eigenen Körper (oder an einem Objekte seiner Sphäre) vollbringt.«

α. Subiectum ipsum actionem perficit.

Verba velandi, nudandi similiumque.

redimiri: I 278: redimitus tempora vittis, i. e. qui tempora vittis redimierat, vel, ut vernacula lingua utar: der sich die Schläfen mit Binden umwunden hatte.

---

iam ante annum 1870 (cfr. not. p. 4) scriptum esse videatur, non miror coniecturarum Baehrensi aliorumque virorum doctorum, quibus complura exempla ab Engelhardtio laudata sine dubio sublata sunt, nusquam mentionem fieri. Quem virum doctum in disponendis verbis Lehrsium secutum esse Schäflerus (l. l. p. 10) iure queritur. Eundem Eng., quod accusativum a passivo verbo finito aptum linguae esse distortionem et depravationem dixerat, Pigerus (l. l. p. 45) non iniuria, sed nimis gravibus verbis perstrinxit. Quae cum ita sint, non inutile videtur esse iterum de his verbis disputari.

[1]) Progr. gymn. Glogav. inscr.: »Der Accus. nach passiv. Verb. in der lat. Dichtersprache«, a. 1870 ed.

[2]) l. l. vol. I p. 363 sqq.

[3]) Gramm. lat. vol. II p. 204 sqq.

[4]) l. l. p. 6.

[5]) Cfr. I 252: molli iuvenes funduntur in alga, i. e., ut nos dicimus: strecken sich nieder. Similiter dictum est IV 339: graminea sternuntur humo. VIII 258: in sui sternuntur velleris auro. VII 158: tollitur, i. e. hebt sich.

[6]) Similiter Schäflerus (l. l. p. 9) iudicat: »Ein grosser Mangel der lateinischen Sprache ist das Fehlen des Part. perf. act. Einen Ersatz hiefür bietet vorzugsweise die Dichtersprache und vereinzelt auch die Prosa, indem sie nicht selten sowohl das Verbum finitum als insbesonders das Part. perf. pass. mit medialer Bedeutung gebraucht und somit auch mit einem Objektsaccusativ verbindet.«

[7]) In adnotandis Valeri locis Baehrensi editione usus sum, quem de Valeri plurimis locis optime meritum esse libentissime concedo. Neque iniuria Bonnetius (ann. inscr.: »Revue critique« a. 1876 p. 9) his verbis eum laudat: »On ne peut s'empêcher d'admirer le talent vraiment remarquable, la virtuosité de M. B. pour la coniecture. Il a le don de trouver ces corrections qui plaisent à première vue, qui séduisent, se rapprochant à la fois du texte manuscrit, faisant comprendre l'erreur du copiste, et offrant un sens convenable. Et en bien des endroits, M. B. nous paraît avoir retabli la leçon authentique avec certitude, en beaucoup d'autres avec une haute vraisemblance.«

[8]) l. l. p. 10. [9]) l. l. vol. II p. 206.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

velari: I 659: umeros ductor sacro velatur amictu, i. e., ut nos dicimus: er verhüllt seine Schultern. VI 563 sq.: labitur intortos per tempora caerula crines—tunc quoque materna velatus harundine Peucon.

cludi (=claudi) I 34 sq.: Cleonaeo iam tempora clusus hiatu — Alcides. Engelhardtius[1]) laudat Stat. Theb. X 841: gemina latus arbore clusus.

tegi: I 378: tectus colla capillo.

vinciri: IV 418: aspide vincta[2]) comas.

cingi: VII 355: cingitur sinus.

innecti, subnecti: VI 110 sqq.: pectora ferro terribilesque innexa iubas ruit—cohors. II 103: tereti crinem subnectitur auro.

nudari: V 135: quae pelta latus adque umeros nudata pharetris.

Alia Valeri verba.

converti: III 343: ille suam vultus conversus ad urbem. I 618 sq.: conversa frontem puppis.

deici, inici: II 470: tristi oculos deiecta pudore. III 562: illa avidas iniecta manus.

immitti: I 412: Phlias immissus patrios de vertice crines.

flecti: III 615: animum flexus.

fundi, effundi, diffundi: III 314 sq.: Clite laceras super ora mariti—fusa comas, i. e. comis se effundens. I 762: effusa manus, i. e. effundens vel protendens manus. II 104: sidereos diffusa sinus. Quae verba Loehbachius[3]) non bene, si quid video, explicat: »Die Worte sidereos diffusa sinus lassen, wenn man sie zu dem Vorhergehenden zieht, keine befriedigende Erklärung zu. Ich möchte sie daher mit dem Folgenden verbinden und von dem wirr über die Brust herabhängenden Haar verstehen im Gegensatz zu tereti crinem subnectitur auro.« Verba intellegenda sunt de laxo vel discincto amictu. Contrariam sententiam habent verba, quae exstant Verg. Aen. I 320: nodo sinus collecta fluentis[4]).

exeri: II 207: truces exerta manus, i. e. exserens manus.

pingi: II 150: picta manus ustoque placet sed barbara mento, i. e. quae manus pinxerat vel quae manibus notas Threicias inusserat.

armari: II 249: illa pias armata manus.

mutari: VII 211: sicut erat mutata deam, i. e. faciem divinam mutaverat. Minus audacter Vergilius, quem hoc quoque loco Valerius imitatus est, dicit Aen. I 658: ut faciem mutatus et ora Cupido.

β. **Actio non a subiecto ipso, sed ab alio perficitur,** ita tamen, ut subiectum consentiat, quibus locis lingua vernacula verbo »lassen« utimur. Apte Kühnerus[5]) de his verbis docet:

---

[1]) l. l. p. 14.

[2]) »Vincta« pro »cuncta«, quod in codice Vaticano est, non male Baehrensius scripsit. In ceteris editionibus »cincta« legitur.

[3]) Progr. inscr.: »Studien zu Valer. Flacc.«, Antunnaci a. 1872 ed. p. 6 sq.

[4]) Durior graecismus verbi diffundendi, qui invenitur VI 55 sq.: »nec primus radios, miles Romane, corusci — fulminis et rutilas scutis diffunderis alas«, a Schenkelio et Baehrensio, qui secuti sunt Bononiensem et Aldinam editiones et K. Fr. Hermannum (cfr. comment. Philologi vol. III insert. p. 515), mutatione »diffuderis« iure deletus est. Eodem iure Baehrensius codicibus R C et editionibus Bononiensi et Aldinae adstipulatus I 491, ubi exstat: »teneras compressus pectore tigres«, scripsit »complexus«, cum Heinsius elegantem esse hunc graecismum putet et Bonnetius quoque (l. l. p. 10) lectionem Vaticani defendat. Inauditum autem esse talem graecismum Ph. Wagnerus (Iahnii ann. vol. LXXXIX p. 391) recte dicit.

[5]) l. l. vol. II p. 207.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

»Die Reflexivform bezeichnet eine Thätigkeitsäusserung, welche das Subjekt zwar nicht selbst vollbringt, sondern durch andere vollbringen lässt, jedoch so, dass die Handlung nach dem Willen oder auf Befehl des Subjektes vollbracht und somit auf das Subjekt zurückbezogen wird. Auf gleiche Weise wird im Griechischen die Medialform gebraucht. So heisst z. B. κείρασθαι τὴν κεφαλήν an sich: sich den Kopf scheren, oder wenn es aus dem Zusammenhange der Rede erhellt: sich den Kopf scheren lassen.« Apud Valerium inveniuntur haec exempla:

perfundi: II 212: tabo sinus perfusa recenti, i. e., ut nostris verbis utar: nachdem sie ihren Busen mit frischem Blute hatte benetzen lassen.

suffici: II 105: maculis suffecta genas.

ici: II 142: icta genas [1]).

tangi: III 581: volucri [2]) ceu pectora tactus asilo.

lassari: I 419: adsidua Tiphys vultum lassatus ab Arcto, i. e., ut nostris verbis utar: Tiphys, der sein Antlitz vom anhaltenden Nordwind hatte ermüden lassen.

velli: V 170: fixos scopulis dum vellitur artus, i. e. dum artus fixi scopulis (ab Hercule) velluntur.

Quinque exemplis exceptis, ubi praesens adhibetur, omnibus locis non verbum finitum, sed participium perfecti et semel plusquamperfectum passivi invenitur [3]).

2. De accusativo ex adiectivis et participiis generis activi apto.

Nonnullis in exemplis, quae enumeravi, participium idem fere est atque adiectivum, ut eodem iure accusativus determinationis statui possit. Sine dubio hic accusativus, quo poetae soli et posterioris aetatis scriptores pedestris orationis utuntur, apud adiectiva et participia generis activi invenitur. Exempla Valeri sunt:

ardens: I 346: umeros ardentem vellere rapto.

certus: II 317: non patriam, non certa genus.

clarus: VIII 26: siderea clarus procul ora iuventa.

comans: V 591 sq.: lata comans pectora.

concolor: I 611: nocti concolor alas.

crinitus: V 370: (nox) luctiferas [4]) crinita faces.

flavus: I 613: multa flavus caput Eurus harena.

hispidus: I 612 sq.: crinem procellis hispidus.

nudus: III 61: nuda latus.

plenus: I 298: pleni oculos (sc. lacrimis). II 507: patriis manus plenus habenis.

rudis: I 771: aevum [5]) rudis.

similis: II 105 sq.: pinumque sonantem—virginibus Stygiis nigramque simillima pallam.

minor: I 582 sq.: nec scopulos aut antra minor [6]) iuxta altera terra—cernitur.

---

[1]) Viri docti proposuerunt: laesa, ficta, secta, tecta, picta.

[2]) Alia exempla, ubi adiectiva ornatus causa a Valerio substantivis sunt addita, habes II 287: canis urebat luna pruinis. III 636: curvum antrum. III 687: devexis redeuntem montibus. III 708: frondes virides. IV 384: cava fistula. VI 760: cava cassis. VIII 20: tortum flagellum.

[3]) II 6 sq., ubi exstat: »iamque fretis summas aequatum Pelion ornos—mergunt«, Peerlkampus (ad Verg. Aen. III 291) mea quidem sententia recte »aequantem« proposuit.

[4]) »Luctiferas« pro »luciferas« Burmannus proposuit, quem Baehrensius iure secutus est.

[5]) Duae editiones praebent genetivum »aevi«, editio Aldina »rerum«. cfr. I 823: rudem rerum.

[6]) Baehrensius non male »minax« proposuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nemo fere [1]) invenitur, qui hunc accusativum adiectivis accommodatum graecismum existimare dubitet, neque iniuria Schäflerus [2]) de Plauti Pseud. versu 785: »qui manus gravior siet«, hoc modo iudicat: »Dieser vereinzelte Fall stösst die Thatsache nicht um, dass diese seit Vergil so häufig gewordene Redeweise von der griechischen Komödie und epischen Poesie in die römische Dichtersprache verpflanzt worden ist.«

3. De accusativo cum verbis intransitivis quae dicuntur coniuncto.

Verbum quodvis et transitivum et intransitivum esse posse Pigerus [3]) recte dicit. Accusativus cum verbis quae dicuntur intransitivis coniunctus a Schoemanno obiectum internum, a Bernhardyo obiectum absolutum nominatus est. Bene Pigerus [4]) hoc dicendi genus non graecismum esse neque a consuetudine linguae latinae abhorrere demonstravit. Ut penitus, quae Valeri sint propria, cognoscas, quod mihi propositum est, exempla afferam, quae in eius libris inveni: II 93: alternos aegra cunctantem poplite gressus. Verba eundi a Valerio cum accusativo coniuncta sunt IV 371: ignotas iubet ire vias. V 669: tot aequora vectae. IV 336: freta curre. cfr. Verg. Aen. III 191: currimus aequor, et V 235: aequora curro, quos locos Rantzius [5]) transfert: »die Bahn des Meeres durchlaufen = currendo conficere aequor.« Etiam verbo tumendi Valerius secutus Vergilium accusativum subicit II 547: colla tumens.

Loco substantivi saepe invenitur adiectivum neutrius generis. Schäflerus [6]) hac de re dicit: »Es ist sonnenklar, dass die klassischen Dichter der augusteischen Zeit infolge ihrer griechischen Studien dem neutralen Adjektiv im Singular oder Plural besonders dem Metrum zu lieb einen so weiten Spielraum gewährten.« Valeri loci sunt III 349: luctificum clangente tuba, i. e. luctificum clangorem clangente tuba. V 169 sq.: grave vociferans. I 262 sq.: magnum sonantes haurit. III 198: vana sonantem. I 47: ipsum iuvenem tam saeva gementem. III 229: saevit acerba fremens. I 38: tranquilla tuens. II 555: torva tuens. II 154: miseros transversa tuentem. VII 215: flebile gaudens.[7])

Praeterea Valerius longum et aeternum loco adverbiorum adhibet.[8]) Draegerus [9]) longum = »lange Zeit« apud Vergilium, Ovidium, Statium inveniri docet. Apud Valerium »longum« legitur III 547: longum resistens, et IV 436 sq.: longum exspectata. »Aeternum« exstat IV 151: aeternum furit, et IV 708: aeternum revinctos. Similiter usurpatum est immortale VII 362: immortale virens, i. e. semper virens.

Saepe multum et multa loco adverbiorum »valde« vel »vehementer« a Valerio posita sunt. Vide I 759: multa leo cunctatur. IV 371: multa morantem. cfr. IV 243: nec plura moratus.

B. De dativo.

De dativo finali qui vocatur pauca Valeri exempla afferam, cum haec structura non ex consuetudine linguae graecae sumpta sit neque abhorreat a natura linguae latinae [10]): VI 272: datum leto. VI 557: dat neci. VII 314: demittere leto. I 782: statuit leto. III 442 sq.:

---

[1]) Pigerus (l. l. p. 21 sqq.) etiam huius structurae exempla ex ingenio linguae latinae originem duxisse putat.
[2]) l. l. p. 34. [3]) l. l. p. 12. [4]) l. l. p. 11—20.
[5]) Progr. inscript.: »Der Accusativus bei Vergil«, Marcoduri a. 1871 ed. p. 7.
[6]) l. l. p. 29.
[7]) Cfr. Hom. Il. VI 484: *δακρυόεν γελάσασα*. Alia verba oxymora apud Valerium inveniuntur VII 597: timide minans.
[8]) Cfr. Haasii adn. ad Reisig. schol. vol. III p. 633 sq. ed. Schmalz. et Landgraf.
[9]) l. l. vol. I p. 119. [10]) Cfr. Schäfleri libri laudati p. 51.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ponto — pone iacit. V 9 sq.: robora — portant arae. III 193 sq.: torserat hastam venatori. VIII 68: manus Colchis virgamque intenderat astris. Satis multa exempla huius rei attuli.

Dativus e verbis passivis pendens pro ablativo cum praepositione »ab« coniuncto saepe ut a Vergilio et aliis scriptoribus[1]), ita a Valerio usurpatur et maxime quidem coniungitur cum formis perfecti, quamquam ne aliorum quidem temporum exempla desunt. Quo in dativi casus usu, sicut in permultis orationis conformandae rationibus, Romanorum poetas inde a Catullo Graecorum dictionem haud raro imitatos esse Henricus Tillmannus recte iudicat[2]). Exempla Valeri, quae collegi, verbis litterarum ordine digestis afferam.

actus: III 219: acti Minyis per litora manes, i. e. a Minyis.

auditus: I 341 sq.[3]): audita magnis vota deis, i. e. a magnis diis[4]).

cognitus: I 785 sq.: mihi consiliis, mihi cognita bellis — nomina. II 639: terris cognita nostris[5]). III 397: memori cognita vati.

colimur: V 642: sola colimur si gentibus umbra.

defletus: VIII 208: illa Thoanteae transit defleta Dianae.

demissus: II 434 sq.: demissa Iovi hiemps.

dilectus: II 79: tibi dilecta. II 316: Phoebo dilecta. IV 468: nostro dilecte parenti.

ductus: VI 125: mos ductus avis.

egestus: V 298: nox Minyis egesta.

electus: IV 242: tune, o sociis electus iniquis. »O« Baehrensius bene e codice Vaticano restituit. Ceterae editiones praebent »e« vel »a«.

gestatus: VIII 118 sq.: sibi gestata — monumenta.

incognitus: VIII 241 sq.: incognita lustra sibi. III 399: superis incognita tellus. V 402: populo mediaeque incognitus urbi.

missus: II 439 sq.: vati missa[6]).

mutabere: VI 269: invito gener mutabere patri.

peractus: I 784 sq.: quibus imperium Iovis et non segne peractum — lucis iter.

pulsus: III 127 sq.: pulsum — sibi Thamyrim petebat. II 158 sq.: sed me quoque pulsam fama viro. III 221: pulsa sibi.

raptus: IV 118: mihi rapta.

receptus: V 524: facili sibi mente receptum.

spernēre: VI 500 sq: spernēre nec usquam mendaci viro.

superatus: III 516: tenero superati protinus angues.

temptatus: IV 697: sociis temptata quies.

vectus et *victus:* V 511 sq.: munera tu contra victum mihi vecta per aequor — accipe, quo loco »mihi« et ad verbum »victum« et ad »vecta« referendum est.

---

[1]) Hunc dativum in Caesaris libris non inveniri Draegerus docet l. l. vol. I p. 430.

[2]) p. 71 sqq. commentationis, quam inscriptam: »De dativo verbis passivis linguae latinae subiecto qui vocatur graecus« inseruit vol. II act. sem. philol. Erlangens.

[3]) Tantum hunc Valeri locum et praeterea I 784 (peractum) Tillmannus (p. 117 et 132) laudat, quod tamen non vituperandum est, cum in iis auctoribus, quorum libros excerpserit, Valerium non afferat.

[4]) Legitur IV 21: »fluminaque et vacuis auditae montibus aurae«. Quae verba quamquam I. A. Wagnerus non male explicat: »montes iam strepitum fluminum, murmur fontium ventosque rursus audiunt«, tamen verba »vacuis montibus« fortasse idem quod »in vacuis montibus« significant, cum Valerius raro in ablativo loci usurpando praepositione »in« utatur. cfr. II 620: occiduis regnator montibus Atlans.

[5]) Locus pro eo, quod in eo est, ponitur, de quo tropo cfr. diss. meae p. 33 sqq.

[6]) Dativus »vati« Schradero debetur, quam coniecturam Baehrensius iure in textum recepit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

visus: III 303 sq.: divis visa sinistris — regna. V 94 et VIII 297: visa viris. V 217: visa vobis.

C. De genetivo.

1. De genetivo ex adiectivis apto.

Primum audiamus verba Erdmanni [1]): »Offenbar ist die Quelle dieses Gebrauches das Griechische, wie erstens hervorgeht aus der Betrachtung des beiderseitigen Sprachschatzes, zweitens daraus, dass diejenigen lateinischen Schriftsteller, bei denen man für Stoff und Form am meisten griechische Studien voraussetzen darf, auch diesem Gebrauche der Adjektiva verhältnismässig das weiteste Feld eingeräumt haben.« Simili modo de hac re Kühnastius [2]) iudicat. Hausteinius [3]) contra, quem Schäflerus [4]) secutus est, omnia huius structurae exempla ex ingenio latinae linguae originem duxisse neque opus esse eo progredi, ut graecam linguam adhibeamus ad intellegendas constructiones linguae latinae proprias, affirmat. Has inter diversas virorum doctorum sententias equidem mediam viam tenens non negandum esse iudico poetas inde ab aevo Augusteo, cum Graecorum litteras accuratius cognovissent, maiore licentia in hoc genere usos esse. Ut Valeri dicendi genus hac quoque in re cognoscas, omnia exempla, quae in eius libris exstant, afferam. [5])

a. Adiectiva iam a priscis scriptoribus cum genetivo coniuncta.

α. Adiectiva copiae et inopiae.

plenus: I 235: praeduri laboris. II 441: deorum [6]).

β. Adiectiva peritiae et ignorantiae.

conscius: I 5: Cymaeae vatis. I 526: veteris luctus. II 280 et IV 295: ausi. II 410: genitoris. III 262: facti. IV 356: culpae. VIII 401: sacri pacti.

gnarus: IV 208: locorum. IV 404: futuri.

ignarus: I 69: Cereris. II 1: scelerum luctusque. III 290: tanti furoris. V 389: locorum. VII 192: futuri.

immemor: III 375: famaeque larisque. III 654: patriae. VI 297 sq.: parentis. VII 238: magnae Perseidos [7]). VII 501: meriti — noctis huius. VIII 103: mei. VIII 137 sq.: senectae. VIII 412: sui. III 27: tantae irae [8]).

---

[1]) Progr. gymn. Stendal. inscr.: »Über den Gebrauch der lateinischen Adjektiva mit dem Genetiv, namentlich bei den Schriftstellern des I. Jahrhunderts n. Chr.«, a. 1879 ed. p. 2. [2]) l. l. p. 75.

[3]) p. 14 dissertationis, cui inscripsit: »De genetivi adiectivis accommodati in lingua latina usu«, Hal. Sax. a. 1882 ed. Libelli diligentissime conscripti p. 17 se minus studii ac temporis consumpsisse in legendis argentei insequentisque aevi scriptoribus ipse profitetur, quam ob causam multa Valeri exempla omittit.

[4]) l. l. p. 39.

[5]) In disponendis adiectivis Hausteinium secutus sum.

[6]) Baehrensius I 230, ubi codices praebent: »plenus fatis Phoeboque quieto«, pro ablativo »fatis« scripsit genetivum »pacis«. cfr. diss. meae p. 68. Alio quoque loco (I 207), ubi exstat: »ecce sacer totusque dei per litora Mopsus«, fuerunt qui non male »plenusque« scriberent.

[7]) Alia Valeri exempla, quibus genetivus nominum more graeco flectitur, habes tertiae declinationis: IV 555, V 345, VIII 224: Pallados, V 205: Arcados, V 299: Symplegados, V 418 et VII 369: Colchidos, secundae declinationis: I 42: Cretheos, I 68: Perseos, I 114: Eurystheos, I 131: Peleos, IV 162: Otreos, V 5: Phineos, III 264: Pentheos. Nominativi forma graeca est II 95: Aetne.

[8]) Legitur VI 241: »immemoresque mori«, quo loco iam Heinsius »immemoresque sui« proposuit, cum verba »immemoresque mori« iis, quae antecedunt, praesertim voci »anhelos« repugnent. Castor enim feliciter pugnat hostesque ita persequitur, ut viri equique ilia ducant. Mea sententia »iam memoresque mori« genuina scriptura est. Mutationem lenissimam esse libenter mihi concedes.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

memor: VII 477 sq.: mei—tui. I 46: nostri divumque. II 422: terrae. III 649: rectorum. IV 36 sq.: amoris. IV 592 sq.: casus praedicti. V 4 sq.: nimium iam vera locuti—Phineos. V 528: antiquae sortis.

incertus: I 79: animi[1]).

γ. Adiectiva studii et neglegentiae.

avidus: IV 297: viri[2]).

δ. Adiectiva participationis et privationis[3]).

nuntius: I 790: sontum.

expers: VI 122: canentis aevi.

ε. Adiectiva qualitatis animi et corporis.

integer: II 374: urbis, i. e. non corruptus urbanis deliciis.

b. Adiectiva primum apud aureae aetatis scriptores cum genetivo usurpata.

α. Adiectiva copiae et inopiae[4]).

egenus[5]): V 24: genitoris.

ferax: VI 102: niveum olorum.

β. Adiectiva peritiae et inscitiae.

inscius: IV 367 sq.: somni. V 541: astus. VI 317: funeris. V 3: aevi[6]).

nescius: VI 490 sq.: futuri—mali et falsae commissa sorori, pro: se falsae sorori commissam esse[7]).

praesagus: I 694: mali. Idem est Verg. Aen. X 843.

---

[1]) Cfr. Kühner. l. l. vol. II p. 322.

[2]) Baehrensius non male »rabidusque virum (inruit)« scripsit, sed magis mihi placet: »avidusque virum«, cum mutatio lenior sit.

[3]) Cfr. potens: III 48: nemorum bellique. III 151: campi Martisque. IV 366: muneris. VI 680: incepti.

[4]) V 145 sq., ubi legitur: »odia aegra sine armis—errabant iraeque inopes et segnis Erinys«, forma »irae« non genetivus, sed nominativus est, quam ob rem egregie fallitur Erdmannus (l. l. p. 9), qui adiectivo »inops« genetivum accommodatum esse affirmet.

[5]) Cfr. egens: IV 151: aequae virtutis. IV 303: rationis. IV 427: lucis.

[6]) Codices praebent: »labitur extremi sibi tum non inscius aevi«. Locus sine dubio corruptus est. Baehrensius »sibi dudum conscius« scripsit. Loehbachius, qui olim (progr. inscr.: »Obs. crit. in C. Val. Fl.«, Antunnaci a. 1869 ed. p. 10) »dudum non inscius« proposuerat, postea (p. 8 programmatis, cui est titulus: »Bemerkungen zu Val. Fl.«, Moguntiaci a. 1876 ed.) coniecit: »sibi tum non conscius«, quod mihi quidem admodum placet propter verba, quae sequuntur: »at memor Aesonides.«

[7]) Cfr. Kühn. l. l. vol. II p. 517: »In der Dichtersprache wird nach griechischem Sprachgebrauche zuweilen nicht allein der Accusativ des Pronomens weggelassen, sondern auch vermittelst einer Attraktion die Prädikatsbestimmung in den Nomin. gesetzt.« Similiter legitur III 678: »nostris ferri comes abnuit actis«, quo loco Baehrensius, cui Schmidtius (l. l. p. 47) adstipulatur, non male »nostri« scripsit, ut »esse« supplendum sit, cuius copulae formas in constructione accusativi cum infinitivo ab omnibus scriptoribus omnium aetatum saepissime omitti nemo est quin sciat. VI 3: ire placet tandem praesensque videre. Quae cum ita sint, non est dubium, quin III 736, ubi in codice Vaticano legitur: »solisque negat decedere silvis,« Reussius (dissertationis inscriptae: »Obs. Valer.«, Marburgi a. 1871 ed. p. 33) pro ablativo »solisque« iure nominativum »solusque« proposuerit, quem Baehrensius in accusativum »solumque« mutavit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

praescius[1]): V 53: venturi caeli. V 246: fatorum.
rudis: I 823: rerum.

γ. Adiectiva studii et neglegentiae.

capax: I 111: clavae.
inpatiens[2]): I 296: somni. I 778: loci. III 613 et VIII 303: morae.
securus: III 329 et IV 201: tanti metus. III 479: tantae molis. VI 680: fraudis. VIII 206: coniugii futuri.
tardus: III 547: fugae. Erdmannus[3]) et Schäflerus[4]) laudant Ov. Hal. 19: sepia tarda fugae.

δ. Adiectiva participationis et privationis.

immunis: I 77: senectae.

ε. Adiectiva qualitatis animi et corporis[5]).

indignus: VIII 38: tantarum viarum. cfr. Graecorum ἀνάξιός τινος[6]).
laetus: III 659: opum pacisque meae.

c. Adiectivorum primum ab argenteae latinitatis scriptoribus cum genetivo coniunctorum[7]) apud Valerium nullum invenitur.

2. Adiectiva neutrius generis substantivorum loco adhibita cum genetivo coniunguntur, qua ipsa dicendi ratione Livius et Tacitus saepissime usi sunt[8]). Exempla Valeri habes III 695: celsi ardua montis. VI 301: belli diversa.

Saepius adiectiva superlativa inveniuntur, ut VIII 385: tanti ultima belli. VI 249: ferit ultima teli. VI 199: cassidis ima. VI 503: murorum extrema. III 369: tristissima rerum.

II. De adiectivi praedicativi usu.

Quamquam iam antiquiore litterarum latinarum aetate adiectiva non raro[9]) vice adverbiorum posita esse non potest negari, longius tamen post Caesarem et Ciceronem, optimos prosae orationis scriptores, imitanda Graecorum consuetudine fluxisse hunc usum Kühnastius[10]), Kühnerus[11]), Pickius[12]), Schäflerus[13]), alii iure affirmaverunt. Neque enim miramur dictionem poetarum latinorum ex

---

[1]) Erdmannus (l. l. p. 5) et Hausteinius (l. l. p. 49) errore implicati genetivum »antiquae sortis« (V 528) ex adiectivo »praescia« aptum esse putant.

[2]) Cfr. patiens: I 765: caeli. III 680: rerum.

[3]) l. l. p. 18.

[4]) l. l. p. 41. Itaque Hausteinius (l. l. p. 74) errat, qui a Valerio solo adiectivum »tardus« cum genetivo coniunctum esse putet.

[5]) Hausteinius (p. 64) genetivum adiectivo »facilis« a Valerio V 406 accommodatum esse affirmat, sed fallitur, cum codices dativum »adloquiis« praebeant, quos Thilo, Schenkelius, Baehrensius secuti sunt. Heinsius genetivum »adloquii« scripsit neglectis codicibus.

[6]) Cfr. Kühner. l. l. vol. II p. 346.

[7]) Cfr. Hausteinii l. l. p. 68 sqq.

[8]) Cfr. Draegeri l. l. vol. I p. 454 sqq.

[9]) Cfr. Draeg. l. l. vol. I p. 352. [10]) l. l. p. 57. [11]) l. l. vol. II p. 176.

[12]) In dissertatione diligentissime confecta, cui inscripsit: »De vi atque usu adiectivi apud aevi Augustei poetas«, Hal. Sax. a. 1879 ed., ubi vide pag. 32: »Ut his adiectivis (loci, temporis, numeri) augendis et excolendis inservirent Augustei aevi poetae latini, sine dubio effectum est graecorum poetarum lectione.« [13]) l. l. p. 60.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lingua graeca pendere, cum ex cognitione litterarum graecarum litteras romanas haud exiguum incrementum cepisse constet. Quae viri docti de adiectivi praedicati vi ac natura inde ab artis grammaticae primordiis statuerunt, accuratissime Pickius colligit[1]) idemque, quibus causis commoti[2]) poetae latini adiectivum adverbio praetulerint et quae ratio inter adiectivum praedicativum et adverbium intercedat, exponit[3]). Deinde disputat Pickius de verborum generibus, quibuscum adiectiva praedicativa coniunguntur: de verbi substantivi vicariis[4]), de verbis affectuum[5]), de verbis veniendi et quiescendi, a quibus tota haec ratio profecta esse et permanasse ad varia verborum genera videtur[6]). Meum est demonstrare, Valerius quam saepe hoc dicendi genere usus sit, et adiectivorum genera enumerare, quorum nominalem formam adverbiali poeta praetulerit. Quo loco omnia fere exempla omittam, quae aut e coniectura nata sunt aut ad Valeri dicendi genus penitus vereque cognoscendum pertinere non videntur. In disponenda materia Pickium sequar et disseram primum de adiectivis loci, temporis, numeri, deinde de iis, quibus participialis natura inest, tum de iis adiectivis, quae certis finibus non continentur.

A. De adiectivis loci, temporis, numeri.

1. Adiectiva loci: altus, arduus, dexter, diversus, medius, obvius, proximus, sublimis, summus.

altus: VIII 309: summa galeam rapit altus ab hasta.

arduus: III 476: intortis adsurgens[7]) arduus undis, i. e., ut nos dicimus: sich hoch aufrichtend[8]). VIII 109 sq.: qua se arduus heros — ferret ad aurigerae caput arboris. cfr. VII 571 sq.: inmani proflavit turbine flammas — arduus atque atro volvens incendia fluctu[9]).

---

[1]) p. 1 sqq. [2]) Cfr. Rothii excurs. XXIII ad Tac. Agr. et Nägelsb. libri inscripti: »Lat. Stilistik für Deutsche« § 82, qui uberrime sane de tota hac quaestione disputaverunt, sed non tam accurate, ut abunde ei satisfactum sit. [3]) p. 5 sqq. [4]) p. 10 sqq. [5]) p. 17 sqq. [6]) p. 20 sqq.

[7]) Schäflerus (l. l. p. 61) docet a Lucretio et Vergilio saepe participium praesentis cum adiectivo praedicativo coniungi.

[8]) Cfr. Rantz. l. l. p. 22.

[9]) Ultimis pro verbis, quod »nimis tautologe cum iis, quae praecederent«, usurpata essent, Baehrensius scripsit: »atque atros volvunt incendia fluctus«, quem recte fecisse mihi persuasum est. Valerius enim, quamquam abundantiam copiamque verborum, ut demonstrasse (diss. p. 73 sqq.) mihi videor, valde amat atque etiam vitium tautologiae saepius commisit, tamen tali verborum constructione sine dubio usus non est. Meynckius, qui primo (p. 53 dissertationis, cui inscripsit: »Quaest. Valerian.«, Bonnae a. 1865 ed.) hunc locum emendare studuit proponens: »naribus adque atro volvens incendia rictu« (»rictu« Eyssenhardtius coniecit p. 392 commentationis, quam inscriptam: »Emend. Valer.« inseruit vol. XVII Mus. Rhen.), secundis curis (p. 55) versum 572 spurium esse putavit. Schenkelius quoque (p. 291 comment. inscr.: »Studien zu den Argon. des Val. Fl.«, quam reperies in act. acad. Vindob. phil.—hist. cl. vol. LXVIII fasc. III) versum uncis inclusit, cum ad aliam huius loci conformationem pertinere videretur. Baehrensi coniectura mihi admodum placet, quod et vitium tautologiae tollitur et dicitur fumum igne commixtum esse. Tauri enim, quos rex Iasoni aratro iungendos dabat, ignivomi erant, i. e. fumum igne vel flamma commixtum edebant. cfr. VII 73 sq.: tenebris te protinus illis — involvi flammisque velim. Quae verba I. A. Wagnerus non recte explicat: »tenebris noctis te statim flammisque taurorum velari vel suffocari velim.« Nox ab hoc loco prorsus aliena est. Poeta autem nihil aliud dicere vult quam »fumo flammisque.« Similiter dicit VII 566: ardentes stabula effundere tenebras. Vide VI 434 sq.: cuius flammiferos videt inter regia tauros — pascua Tartaream proflantes pectore noctem. Hoc quoque loco errat I. A. Wagnerus dicens: »lusum verborum poeta an sectatus sit in opponendis sibi invicem flamma et nocte, nescio; hoc scio Tartaream noctem nil nisi mortem significare posse.« Significant autem haec verba, ut ex locis modo allatis aperte elucet: terribilem fumum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dexter: IV 211 sq.: quique per arcton — dexter et in laevum pontus iacet[1]).

diversus: IV 387: quo hinc diversus abis? VI 581: nunc quo diversus abiret. VII 577: diversos postquam ire videt.

medius: I 456: surgis ab ostrifero medius, Neptune, Geraesto. II 444: sol aetherias medius conscenderat arces.

obvius: VIII 129 sq.: se — promovet ratis obvia. VIII 116: labitur ardenti Thaumantias obvia Phoebo. II 550 sq.: obvia emersa[2]) turba.

proximus: V 579: stat proximus armiger, i. e. vernacula lingua: zunächst steht der Waffenträger.

sublimis: VII 157 sq.: tenues sublimis in auras tollitur, i. e., ut nostris verbis utar: hebt sich in die Höhe.

summus: IV 201 sq.: instar scopuli, qui montibus altis — summus abit longeque iugo stat solus ab omni.

2. Adiectiva temporalia.

a. annuus, crastinus, hibernus, nocturnus, vernus[3]).

annuus: III 361: aprici statio silet annua Nili, i. e. quotannis.

crastinus: VII 97: hauriet adverso seu crastinus ignis hiatu, i. e. cras.

hibernus: VI 611 sq.: quantus ubi ipse gelu magnoque incanuit imbre[4]) — Caucasus et summas abiit hibernus in arctos, i. e. hieme nivium mole ad sidera usque procrevit.

nocturnus: III 19: (quid) nocturna movit Erinys? Vehementer erres, si vocem »nocturna« hoc loco non adverbii, sed epitheti vice fungi affirmes. cfr. III 32 sq.: nox erat etc. III 52 sq.: nocturnaque muris — claustra cadunt, i. e. nocte. cfr. Graecorum *νύχιος*. Duobus locis Valerius pro adiectivo »nocturnus« voce »pernox« utitur: III 117: linquit pernox, et III 414 sq.: lustralia pernox — vota fero.

vernus: III 402 sq.: immotaque silva comanti — horret verna iugo, i. e. vere. V 343 sq.: florea per verni[5]) qualis iuga duxit Hymetti — choros, i. e. verno tempore.

b. improvisus, maturus, repens, serus, subitus.

improvisus: VII 210: toro Venus improvisa resedit.

maturus: VII 456 sq.: matura ruebant sidera.

repens: II 478: repens consurgere, i. e. repente.

serus: III 713 sq.: Herculeas iam serus opes spretique vocabis — arma viri. III 279: pars serā conponunt lumina dextra, i. e. nostris verbis: andere drücken spät mit der Rechten die Augen (der Gefallenen) zu.

---

[1]) II 322 sq.: »haec dextera, credite, puppis—adveniet«, adiectivum »dextera« Baehrensio debetur, qui genuinam lectionem videtur invenisse.

[2]) »Emersa« pro »emissa«, quod verbum codex Vaticanus praebet, Heinsius coniecit, quem Baehrensius secutus est.

[3]) Cfr. Schäfl. l. l. p. 58: »Sie allein (prädikativ gebraucht) waren als syntaktische Neubildungen von den aug. Dichtern dem griech. Idiom entlehnt.«

[4]) Vide dissertationis meae p. 18, quo loco imbre nivem significari dixi.

[5]) Nägelsbachius, cui Pickius (l. l. p. 7 et p. 40) adstipulatur, non solum ad subiectum, sed interdum ad obiectum atque etiam ad alias orationis partes adiectivum praedicativum addi (l. l. § 82) docet. Qua de hypallage epithetorum Valeri cfr. diss. meae p. 71 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

subitus[1]): II 51 sq.: subitus cum luce fugata — horruit imbre dies, pro »subito.« I 641 sq.: cum subitus trifida Neptunus in hasta — caeruleum fundo caput extulit. I 180 sq.: subitusque paratis — tunc adero. III 115 sq.: ast illi subitus ventis vivoque reluxit — torre focus. cfr. Verg. Aen. XII 576: subitus apparuit ignis. Audacius Valerius dicit I 218 sq.: subita cur pulcher harundine crines — velat Hylas? et VI 154: nunc subitam trepidis Maeotin solvere plaustris. cfr. Verg. Aen. XII 862: alitis in parvae subitam conlecta figuram.

c. alacer, celer, citus, festinus, levis, pernix, praeceps.

alacer: III 462: illi alacres pars arma locant.

celer: IV 316: montem celeres silvamque capessunt. V 117: prima ruunt celeres ad litora. IV 734: celer terras regemque requirit. IV 574: vix repetunt primae celeres confinia terrae.

citus: I 159: citus occupat auras. I 749: citus effugis ictus. IV 382: audentemque[2]) mori valles citus egit in imas. V 622 sq.: citus ad summi stellantia patris — tecta ruit. VI 218: ad socias sonipes citus effugit alas. VII 179 sq.: tu face luciferae citus ad delubra Dianae — deveniat. cfr. Verg. Aen. IV 574: solvite vela citi, et IV 594: ferte citi flammas.

festinus[3]): III 341 sq.: quas rapuit telis festina vocantibus austris Hypsipyle. VII 187: festinamque iubet monitis parere Diones.

levis: III 554: intactas levis ipse superfugit undas. VI 697: levis infesto procurrit in agmina curru.

pernix: I 92 sq.: in moenia pernix — Thespiaca devolat. I 489 sq.: vastata pernix — venator lustra fugit.

praeceps: IV 675 sq. et VI 652: praeceps ruit. VI 715 sq.: praeceps venit. VI 739: ibat praeceps. VII 102: praeceps prorumpit.

d. ignavus, segnis, tardus.

ignavus: VI 486: tu thalamis ignava sedes.

segnis: V 604: nec tamen immissis hic segnior ibit habenis. VIII 318: haud segnis sedet. Adverbium »segnius« legitur VI 107 sq.: non segnius exilit. VIII 311 sq.: nec — segnius constitit. III 85 sq.: non segnius — occupat.

tardus: III 483 sqq: tardior advehitur[4]).

3. Adiectiva numeralia.

a. creber, densus, rarus.

creber: V 550: crebrior incessit[5]) mentem pavor.

---

[1]) Apud Livium adiectivum »subitus« loco adverbii non inveniri Kühnastius (l. l. p. 57) docet.

[2]) Heinsius et Baehrensius »ardentemque mori« scripserunt; at bene Burmannus ad hunc locum adnotat: »audentem recte: agitur enim de femina animi timidioris, in quam illa audacia vix cadere videtur.«

[3]) II 191 sq., ubi codices praebent: »sua cuique furens festinaque coniunx adiacet«, Baehrensius optime »funesta« scripsit.

[4]) Bene Heinsius, quem Baehrensius secutus est, VI 237 sq., ubi codex Vaticanus praebet: »(abies) docilis relegi docilisque relinqui atque iterum medios non altior ire per hostes«, scripsit »tardior ire«. Schenkelius (comment. supra laud.: »Studien etc.« p. 291) versum 238 uncis inclusit, cum is propter verba »docilis relinqui«, quae intercedunt, cum verbis »docilis relegi« coniungi non possit. Baehrensius pro verbo »relinqui« scribens »reponi« fortasse genuinam lectionem invenit.

[5]) »Incessit« pro »incussit« Vaticani Heinsius bene coniecit, quem Baehrensius secutus est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

densus: VI 229: densā spargens hastilia dextra.

rarus: I 836: (porta) rara et sponte patet. II 74 sq.: raras et litus in altum—mittit aves. cfr. Caes. de bell. Gall. V 16, 4: rari magnisque intervallis proeliarentur.

b. primus, prior, novissimus, totus.

De adiectivis »primus« et »prior« similibusque, quae etiam in soluta oratione saepissime vice adverbiorum occurrunt[1]), multa verba facere cum non sit opus, ad Valeri genus dicendi accuratius cognoscendum pauca exempla affero.

primus: II 213: prima revertor. III 71 sq.: prima advolat. III 496 sq.: primus—advehit agmina, et saepius. Digni loci, qui afferantur, sunt I 765 sq.: cum prima per altum — vela dedit, pro »cum primum«. Eodem modo II 75 »cum primus« pro »cum primum«, et II 207 et V 350 sq. »ut prima« pro »ut primum« Valerius scripsit, qua ex re cognosci potest eum formam nominalem adverbiali praeferre.

prior: I 162 sq.: prior — advolat. IV 224: prior (surgit). VI 198 et VIII 413: prior occupat. II 533 sq.: prior obruit, cum adverbium, quod apud Valerium multo rarius occurrit, exstet II 143: prius obruat. III 187: prius ibat in ictus.

novissimus: I 461: occupat et longe sua transtra novissimus Idas. IV 694: fugit ipse novissimus ictus[2]). cfr. Caes. de bello Gall. V 56, 2: qui ex iis novissimus convenit.

totus: VII 600: totus incumbit Iason. III 133: totusque ruit Tirynthius arcu[3]).

B. De adiectivis, quibus participialis natura inest.

1. Adiectiva in **tus** desinentia: certus, laetus, tacitus.

certus: II 455: (vox) certa sonat.

laetus: I 161 sq.: laetus—tecta petit. I 170 sq: sed laeta recurret — cum ratis. I 610: fundunt se carcere laeti. II 98: laetus adit. II 299: laeta ferar. II 370: urbe sedent laeti Minyae. II 415 sq.: aethere laetus—adstabat mensis[4]). III 633 sq.: laeta reducit cerva gregem. IV 342: laetus ovat. V 1: altera lux haud laeta viris emersit Olympo. V 69 sq.: laetus ingreditur. VII 487: pro te lucem quoque laeta relinquam. Satis multa exempla attuli, ut Valerium adiectivo »laetus« pro adverbio saepissime uti appareat.

tacitus: I 689: taciti sedent ad iussa magistri. III 402: stant tacitae frondes. III 636: curvo tacitus leo condidit antro. V 351: viros tacito vidit procedere passu, i. e., ut nos dicimus: sah die Männer schweigend voranschreiten. Similiter legitur III 441: ter tacitos egere gradus.

2. Adiectiva in **idus** desinentia: avidus, frigidus, inpavidus, intrepidus, pavidus, placidus, providus, trepidus, turbidus.

avidus: III 557: gratos avidus procumbit ad amnes. I 183: gressus avidos[5]) ad litora vertit, i. e. nostris verbis: lenkt begierig seine Schritte zum Gestade. Adverbium »avide« invenitur I 818.

---

[1]) Draegerus (l. 1 vol. I p. 324) adiectiva »primus, princeps, postremus, solus« loco adverbiorum ponere neque ullius aevi neque ullius sermonis scriptores dubitasse affirmat.

[2]) Erdmannus (l. 1 p. 6) ex adiectivo »novissimus« genetivum »ictus« pendere verisimile esse putat. Ipse autem num recte fecerit, non iniuria dubitat, quod luce clarius est accusativum »ictus« verbo »fugit« accommodatum esse.

[3]) Baehrensium sine causa »tentoque« scripsisse Loehbachius (progr. supra laud.: »Bemerkungen etc.« p. 6) vidit.

[4]) Kochius (p. 163 comment. vol. XVIII Mus. Rhen. insert.) »aetheris alti« coniecit, Heinsius formam »altis« praefert, sed emendatione non opus est.

[5]) Baehrensius sine causa »rapidos« scripsit. IV 297 sqq. legendum esse puto, ut supra dixi: »avidus virum—inruit.«

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

frigidus: VII 530: exclamat stricto Aesonides stans frigidus ense.

inpavidus: V 660: inpavidus maria et nondum qui nota subibat.

intrepidus: I 504: intrepidus tales fundit Sol pectore voces.

pavidus: IV 504: (Harpyiae) primum pavidae Phineae tecta pervolitant, i. e. vernacula lingua: umflattern ängstlich. IV 571: pater ipse maris pavidas detorquet habenas. V 426: pavidas iacit illa pharetras.

placidus: V 197: patrias placidus reminiscere terras. III 434: placida transmittens agmina lauro, i. e. transmittens agmina placide vel leniter lauro tangens.

providus: IV 271 sq.: providus ictus — servat.

trepidus: IV 357: trepida subit. VI 520: trepidae cedunt. I 158: trepidi sequuntur. VI 342: trepidusque super advolat.

turbidus: II 115 sq.: dea se turbida — praecipitat. VI 292 sq. et VII 147 sq.: corripit ensem turbidus.

C. De adiectivis, quae certis finibus non continentur.

1. aeger, maestus, tristis.

aeger: III 283 sq.: circa lacrimis ac mentibus aegri — stant Minyae, i. e., ut nostris verbis utar: herumstehen in Thränen und bekümmerten Herzens die Minyer.

maestus: I 442: te maesta relinquet. VI 433: increpat maesta. VI 505 sq.: maestae — succedunt ramis haerentque pavore volucres. V 16: fundunt maestas ad sidera voces.

tristis: II 426 sq.: tristis — coniunx pendet [1]).

2. integer, purus, securus.

integer: II 57 sq.: Titan — integer in fluctus et in uno decidit auro.

purus: II 56: puraque nec gravido surrexit Cynthia cornu.

securus: V 48: carpere securas quis iam iubet Aesona noctes?

3. lenis, pius, serenus.

lenis: I 841 sq.: lenis agit.

pius: I 80: tendensque pias ad sidera palmas, i. e. lingua vernacula: und fromm die Hände gen Himmel erhebend.

serenus: I 20 sq.: nunc nostra serenus — orsa iuves, i. e. nostris verbis: hilf gnädig.

4. acer, asper, atrox, audax, crudelis, durus, ferox, gravis, improbus, saevus.

acer: III 209: acer suscitat urbes [2]).

asper: III 21 sq.: dum volucri quatit asper equo silvasque fatigat — Cycicus, i. e. nimis cupidus. IV 222: asper Iason (surgit).

atrox: VI 644: instabat atrox.

audax: VI 423 sq.: audax desilit.

---

[1]) Adiectiva, quibus animi motus significantur, ab omnibus scriptoribus loco adverbiorum tam saepe posita sunt, ut Nägelsbachius (l. l. § 82) in adiectivis animi affectum aliquem depingentibus primum increbruisse usum adiectivi praedicativi putaret. Vide Pickii l. l. p. 9 et 53 sq.

[2]) VI 300 Baehrensius lacunam codicis Vaticani explens non male »acrior instat« coniecit, sed forma »acrius« praeferenda est. cfr. II 457: acrius hoc instare viri.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

crudelis: I 695 sqq.: crudelis patrem liquerit.

durus: I 718 sq.: te durus lacerat. III 181: deseris durus, i. e., ut nos dicimus: grausam verlässt du [1]).

ferox: VI 741: ruit ferox.

gravis: IV 3: Iunonem ardenti trepidam gravis increpat ira. VI 522: proterit impulsu gravis agmina.

improbus: VI 367 sq.: in clipei septemplicis improbus orbem [2]) — arietat.

saevus: VII 141 sqq.: proiecerat artus, — si [3]) veniat miserata quies, cum saevior ipse — turbat agitque sopor. I 794: saevas inferte faces, i. e. lingua vernacula: schleudert wütend (= voll Wut) Brandfackeln hinein. I 726 sq.: cornua saeva Thyoneus — torsit.

5. alternus.

Pickius [4]) de adiectivo »alternus« docet: »Post aevum Augusteum qui exstiterunt poetae latini, pauca admodum in adiectivi praedicativi ratione novasse videntur, quemadmodum adiectivo »alternus« adverbii munus tribuerunt Persius, Statius«. Valerius quoque exempla huius usus habet: VI 363: alternaequae virum non cedere dextrae. VI 231 sq.: ingerit ensem — huc alternus et huc. cfr. IV 266.

III. De adverbio pro adiectivo attributivo posito.

Nägelsbachius [5]) hanc orationis conformandae consuetudinem a grammaticis antiquis miro modo *ὑφ' ἓν* appellatam Graecorum imitatione ortam esse recte dicit, cui Draegerus [6]) adstipulatur. Valeri exempla habes: V 337: ingenti circum stupefacta profundo. Idem adverbium circum adiectivi loco positum est I 690: omnia circum, et II 412 sq.: viridis circum horrida late — silva [7]) tremit. cfr. Verg. Aen. III 91 sq.: totusque moveri — mons circum. Similiter Valerius adverbio utrimque utitur II 45 sq.: noctisque metus niger auget utrimque campus, i. e. campus dextra et sinistra situs. Schäflerus [8]) ab Ovidio saepe sine nomine pro adiectivo »ignobilis« usurpari commemorat, quod apud Valerium exstat II 586: angustas quondam sine nomine fauces, i. e. quae quondam

---

[1]) Formam »deseris« modo imperativo »desere«, qui in Vaticano est, Heinsius et Baehrensius praetulerunt. Cum Valerius adiectivum praedicativum valde amet, Baehrensio adstipulari non possum, qui vocabulum »durus« casum vocativum esse putat.

[2]) Similiter Valerius dicit VI 246: laevum per luminis orbem, i. e. per laevum oculum. III 199: per clipei cedentis opus, quo vocabulo »*ἔργον*« vel »*χρῆμα*« latine redditum est. III 210: pugnae opus. I 452: clari decus orbis, i. e. clipeus. III 346: decus regnique insigne, i. e. sceptrum. I 561 sq.: robur — Herculeum tuens, i. e. *μένος Ἡρακλέους*. Apud Vergilium legitur Aen. X 546: totum clipei orbem. II 392: clipei insigne decorum. X 553: clipei ingens onus. X 496: inmania pondera baltei.

[3]) Alii Valeri loci, quibus coniunctio »si« eodem modo atque Graecorum »*εἰ*« usurpatur, sunt V 561: expertique simul, si tela artusque sequantur. VI 3 sqq: videre, sternere si Minyas queat. VII 30 sq.: oculos longe tenet, aurea si iam — pellis (clarescat). I 459 sq.: multum famulis pia iusta moratis, si venias. I 307 sq.: incertus si nubila duxerit aether, iam nunc mitte metus. Baehrensi mutatio »incertumst« necessaria non est. cfr. Loehbachi progr. supra laud.: »Bemerkungen etc.« p. 4 et Ph. Wagneri comment. Philol. vol. XX insert. p. 620.

[4]) l. l. p. 67. [5]) l. l. § 75. [6]) l. l. vol. I p. 131.

[7]) Meynckius (l. l. p. 39), quem Baehrensius secutus est, pro substantivo »tela« Vaticani adverbium »late« optime coniecit coll. Vergilianis locis Aen. VIII 671: tumidi late maris, et IX 381 sq.: late horrida, et Val. III 584 sq.: pavet omnis conscia late silva.

[8]) l. l. p. 64.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sine nomine erant. cfr. Verg. Aen. IX 343 sq.: multam in medio sine nomine plebem — subit. Deinde commemorandus est Valeri locus I 692: adhuc in fontibus amnes. cfr. V 423: pinguem sine imbribus annum. Denique locus dignus, qui laudetur, est VI 220 sq.: tot montibus inter — diviso, ubi inter eodem modo quo Graecorum »μεταξύ« usurpatum est[1]).

Appendix.

Accedit brevis quaestio de iis verbis, quae aut non inveniuntur nisi apud Valerium aut alia significatione ab eo usurpantur quam a classicis qui vocantur scriptoribus.

A. De vocabulis a Valerio solo usurpatis.

1. Substantiva.

a. Substantiva in **tor** vel **trix** desinentia a Valerio solo usurpata habes:

gestatrix: IV 605: divaque Gorgonei gestatrix innuba monstri, i. e. quae gestat.

memoratrix: VI 142: memoratrix tibia pugnae, i. e. quae memorat. Forma »memorator« legitur Propert. III 1,33: nec non ille tui casus memorator Homerus.

mugitor: III 208 sq.: magis ut mugitor anhelat Vesvius, i. e. Vesuvius, qui mugit.

pulsator: V 693: citharae pulsator Apollo, i. e. qui pulsat.

sociatrix: V 499: medii sociatrix gratia Phrixi, i. e. quae sociat.

b. Alia substantiva.

inceptus: VI 124: inceptus iam lancea temnit erilis, quo loco substantivum »inceptus« pro voce »impetus« (vel »conamina«) positum est.

lustramina: III 442 sq.: arma simul vestesque virum lustramina ponto — pone iacit, i. e. purgamenta.

2. Adiectiva.

aegisonus: III 88: aegisono pectore, i. e. quod aegidis sonum edit.

arquipotens: V 17: arquipotens Apollo, i. e. sagittandi peritus.

inplorabilis: I 573: (lumen) purpureum, miseris olim inplorabile nautis, i. e. quod inplorari debet.

intemerandus: V 641: an Martia templa intemeranda minus, i. e. non violanda.

lustrificus: III 448: adque ita lustrifico cantu vocat, i. e. expianti vel lustrali.

saxiferus: V 608: saxiferae surgat quibus imber habenae, i. e. qua lapides iaciuntur.

3. Verba.

Verba, quae Valerius solus adhibet, sunt:

protonare: IV 205: sed tali protonat ira.

superincendere: II 126: hanc superincendit Venus.

B. De vocabulis a Valerio singulari modo usurpatis.

Substantivum *nuntius* pro forma »nuntia« positum est II 142: utinam non hic tibi nuntius essem[2]). Ph. Wagnerus explicat[3]): »Nuntius« ist eben Nachricht und »utinam non hic nuntius

---

[1]) IV 139, ubi exstat: »paciferaeque manu nequiquam insignia virgae«, verbum portandi vel ferendi mente addendum est. [2]) Cfr. Braunii l. l. p. 33. [3]) Iahn. ann. l. l. p. 390.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

essem« kurzer Ausdruck für »utinam non talis nuntii auctor essem«, wie gleich im folgenden Verse »nostros dolores« für »auctores nostri doloris«. Schenkelius[1]) locum Verg. Aen. XI 896 sq.: »interea Turnum in silvis saevissimus implet—nuntius«, non recte intellectum huius scripturae causam fuisse putat.

Singulari modo Valerius his verbis utitur:

carmen agere: I 814 et IV 87, i. e. carmen dicere vel canere.

condere: II 442 sq.: urbes—navita condebat. Idem verbum condendi sententia quae dicitur praegnanti usurpatum pro »amittere ex oculis« (= ἀποκρύπτειν γῆν) invenitur IV 636 et V 106. cfr. Verg. Aen. III 291: protinus aërias Phaeacum abscondimus arces.

expetere: V 577: expetit Aesonides et amicos ordine reges, i. e. petit ab Aeeta, ut reges enumeret.

maculare: IV 369: Lyda nurus sparso telas maculaverit ostro. VI 704 sq.: perque levem et multo maculatam murice tigrin — concita cuspis abit. Locis allatis verbum maculandi, i. e. macula afficere, inquinare, polluere, foedare, a Valerio ita adhibetur, ut sit: per intervalla tingere et quasi maculas ornatus causa adspergere. cfr. Verg. Aen. I 323: maculosae tegmina lyncis.

praefulgurare: III 119: vias praefulgurat ense, i. e. fulgore vias implet strictum ensem vibrando. Verbum praefulgurandi intransitivum est Stat. Theb. VII 501 sq.: longe tua iussa cohortes—exspectant, multoque latus praefulgurat ense.

truncare: VI 568: nec in medio truncantem marmore cervos, ubi »truncare« idem significat quod »interficere«.

reclamare: III 596 sq.: rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat avia. I. A. Wagnerus explicat: »clamat, ut ad se redeat«, et Burmannus: »saepe repetito clamore vocat et clamando iterat«. VIII 173 sq.: dominam reclamant nomine.

pendere: I 445 sq.: tuis nam pendit in arvis — Delius, quo loco verbum »pendit« absolute usurpatum idem significat quod »poenas pendit (=dat, luit).« Quam ob rem viri docti alii aliam coniecturam proposuerunt. Fr. Eyssenhardtius[2]) dicit: »pendit quid sit, nemo facile dicat. Quod enim explicant dictum esse pro »poenas pendit«, concedi non potest talis ellipsis: tum enim omnia audiri possunt et, ni fallor, nullus poeta latinus unquam hac figura ita abusus est.« Sed Eyssenhardtium, qui »pascit« scribendum esse iudicaverat, in idem vitium, quod vituperasset, incidisse Kochius[3]) recte docuit, cum ipsum verbum pascendi obiectum desideret. Quam ob causam hic vir doctus coll. Stat. Theb. VI 375 verbum »servit« proposuit. Ph. Wagnerus[4]) coll. Verg. Aen. VI 151 verbum »pendet« praefert. Sed iure Burmannus, Thilo[5]), Schenkelius[6]), Baehrensius lectionem traditam »pendit« non mutaverunt[7]), quod poeta ferulae verba non subicit. Talis audacia minime a consuetudine Valeriana abhorret, sed plane ex usu eius est. cfr. IV 477 sq.: nec credite culpam — saevitiae scelerumve mihi nunc crimina pendi, i. e. nec credite poenas pro culpa saevitiae pendi.

---

[1]) comment. supra laud.: »Studien etc.« p. 273.

[2]) l. l. p. 383.

[3]) Musei Rhen. vol. XVIII p. 163.

[4]) Philologi vol. XX p. 628.

[5]) prol. p. LXXXVI sq.

[6]) p. 364 commentationis supra laudatae: »Studien etc.,« quo loco Graecorum verbum τίνειν bene comparat, quod et absolute usurpatur et cum vocabulis ποινήν, δίκην, τιμωρίαν, τίσιν coniungitur.

[7]) Iis accedit Loehbachius, cuius confer progr. supra laud.: »Studien etc.« p. 5.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf